

PERANTIQUÆ UNIVERSITATIS ERFORDIENSIS

R E C T O R

ET

FACULTATIS JURIDICÆ

D E C A N V S,

CONR. WILHELMVS

STRECKER, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE-
CTORIS MOGUNTINI CONSILIARIVS REGIMI-
NIS, PRÆFATÆ FACULTATIS ASSESSOR SE-
NIOR, CODICIS PROF. PVBL. ORDINARIVS,
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,

AD

AVDIENDAM LECTIONEM

CVRSORIAM

ad art. 8. §. gaudeant. 2. Instrum. Pac. Westph.

ET

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

AD DIEM IX. APRILIS M DCC XLIV.

LECTOREM BENEVOLVM

PERHVMANITER INVITAT.

E R F O R D I Æ,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,

Acad. Typogr.

FACULTATIS JURIDICAE
 UNIVERSITATIS HALLENSENSIS
 CORR. WILL. HELMICH
 STEPHANUS
 AVDIENDAM RECTIONEM
 DEDICAVIT
 DISSERTATIONEM IN AVOGADIANUM
 AD DAM. DE. J. DE. J. DE. J.
 LICENTIAM BENEFICII
 A. M. D. C. C. C. C. C.
 JOH. CHRISTOPH. HELMICH





Fœdera tanquam arietes, quibus hostium insultus franguntur, consilia callida & perversa machinationes avertuntur, ipsi societati civili contemporanea sunt, id non solum historiae profanae, juxta quas omnes Gentes, cum de Imperio certarunt, ante omnia socios suae fortunae sibi querebant, sed etiam sacrae abunde testantur. *Gen. 14. v. 13. Gen. 31. v. 44. Jos. c. 9. v. 15. 1. Reg. 18. v. 3. 2. Reg. 3. v. 12, 13. 5. 21.* Exinde inferitur, omnem avium usum foedera approbasse, nec ullo unquam tempore aut fortius securitatis publicae vinculum, aut tutius humanae Societatis praesidium fuisse, quam amicorum confederationem & mutuo juratam Sociorum fidem. Id ipsum jam jam agnoverunt Patriarchae & Reges à Deo illuminati & laudati, qui foedera contrahere haud erubuerunt: tum quia Societatem civilem nil magis firmat aut format, quam foedus: tum quia non modo expedit in eadem Republica numerare cives pacificos & benevolos, verum etiam habere vicinos, ut socios & amicos: tum quia si vicini, aut qui longius à nostris ditionibus & regionibus distant, ex amicis in hostes transformati, bellum nobis inferant, cum potentia & armis

armis nobis sint superiores, resistere non valeamus, aliorum vicinorum & amicorum dextera auxiliatrice indigemus: tum quia pleraque Provinciae aut Regna ita sunt comparata, ut non omnia, quae ad sui conservationem aut incrementum requiruntur, possideant, adeoque aliarum Gentium opem & operam, vi & virtute foederum conciliandam habeant necessariam. Cum igitur foedera omni jure, Naturali, Divino & Gentium probentur, eadem quilibet, quem Majestas exornat, ineundi potestatem habet; nam omnis si expendatur historia vetus & nova, divina & humana, sacra & profana, ex iisdem patescit, foederum jus vel ad Majestatem, vel ad libertatem, vel ad utramque pertinere: adeo, ut auctoritas paciscendi foedera vel solis Principibus absolutis nullum superiorem recognoscentibus, vel ita liberis hominibus, qui nullius superioris lege tenentur, competat. Inferiores autem, non nisi consensu, approbatione & auctoritate superioris foedera percipiunt, inde in quovis superiorem recognoscente regulariter foedera & liga praesumuntur illicita; Sunt enim inferiores & subditi sub tutela & protectione superioris, ideoque opus non habent, quaerere aliorum auxilium, quod tendit in contemptum & praesudicium superioris. Haec tamen regula fallit, si inferiores probabiliter timeant offensionem, nec Superiorem adeundi copia datur, tunc enim si meram defensionem respiciunt ejusmodi liga & confederationes, neque conspirationis speciem adversus superiorem admixtam habent, culpabiles non sunt, quia rectius tale foedus concordia, quam conspiratio dicitur, & tendit ad solam defensionem vel rerum, vel personarum, & avertendam spoliationem; Ejusmodi foedus inter Episcopos Herbipolensem & Bambergensem, ac Civitatem Norimbergensem adversus Marchionem Albertum anno 1553. initum, licet praedictus Marchio hoc ipsum foedus, tanquam illicitam conspirationem contra se factum in Camera graviter impugnasset, pro licito judicatum fuisse refert MYNSING. *Cent. 6. O. 2. n. 10.* Hoc item foederis jus in Imperio Romano-Germanico Principibus

bis Imperii & Statibus, licet Imperatoriam Majestatem Superioriorem recognoscant, ad conservandam pacem publicam, pro defensione corporis & bonorum, & pro sua cujusque securitate, competere minime dubitandum est. *A. B. c. 15. R. J. de anno 1529. §. 35.* Ideo nihil frequentius legitur in Historiis Germaniæ, quam fœdera Principum & Civitatum, quod latissimè exemplificat *KNIPSCHILD. de civit. Imper. lib. 2. c. 23. n. 9. seqq.* Attamen in omni Principum & Statuum Imperii confœderatione tacite & ipso jure vi juramenti tempore investituræ præstiti, vid. *SCHRADER. de feud. p. 6. c. 2. §. 6.* excepta censetur salus & incolumitas Imperii & Imperatoris, utpote quod jam olim monuit *Speculum Saxonicum lib. 2. art. 1. gloss. Germ.* Quamvis non pauci tutius esse judicent, ut semper Imperator ad evitandas malevolorum odiosas interpretationes de conspirationibus illicitis, quæ subsequi possunt, expressè excipiat. *LIMN. de jur. publ. lib. 4. c. 8. n. 25.* Imo magis consideratè Imperii Principes & Status agere quidam contendunt, si causas, scopum & finem in fœderibus per se licitis ad Imperatorem referant, & insuper confirmationem petant, tali modo evitatur omnis sinistra suspicio, & id, quod per se validum est, plus roboris acquirit. *GAIL. 2. O. 1. n. 3.* Illa tamen Imperatoris confirmatio, si modò fœdus ad pacem vel utilitatem publicam aut defensionem sui, suorumvè fuerit contractum, non est necessitatis, sed liberæ voluntatis, quia, quod jam lege permillum est, precibus impetrari pro superfluo habetur, quod potissimum nostris temporibus indubitatum est, quibus fœdera contrahendi laxior potestas Principibus & Statibus Imperii per Pacem Westphalicam concessa est; Quamvis enim præteritis temporibus Principibus & Statibus Imperii a quibusdam Auto-politicis confœderandi libertas cum Exteris Regibus & Principibus non sine Germanicæ libertatis diminutione in dubium vocaretur, ista tamen libertatis inimicæ objectiones per Instrumentum Pacis Westphalicæ *art. 8. §. 2.* sequentibus verbis sunt amputatæ: *cum primis vero INTER SE ET CVM EXTERIS fœdera pro sua.*

eiusque conservatione ac securitate singulis Statibus perpetuo li-
berum esto: ita tamen ne ejusmodi fœdera sint contra Imperato-
rem & Imperium, pacemque ejusdem publicam &c. Quo pacto
Pangendorum fœderum libertati plenissime provisum est.
Hac tamen expressâ cum limitatione, ne fœdus ab iis inea-
tur contra Imperatorem & Imperium, pacemque publi-
cam. Caveant præterea Principes Imperii cum Exteris
præsertim Regibus potentioribus, nisi extrema urgeat ne-
cessitas, fœdera pangere, maxime si vicini sint, & potentia
prævaleant, ne talia experiantur fata, quæ experti sunt illi,
qui quondam cum Populo Romano fœdus iniverunt; de
quibus Cicero alibi scribit; *Noster Populus Sociis defendendis,
terrarum jam omnium potitus est*, KNIPSCHILT. *de Civit. Imp.*
lib. 2, c. 27, n. 36. Caveant, ne cum Infidelibus ad oppu-
gnandos fideles fœdus contrahant; Ex tali enim fœdere se-
quitur veræ Religionis everasio, templorum profanatio, cul-
tus divini suppressio, idololatriæ dilatatio, Christianorum
in Servitutem barbaram abductio. Quamvis non pauci il-
lud fœdus ex se & sua natura haud illicitum esse defend-
ant, potissimum in casu extremæ necessitatis & ex causa
defensionis GROTIUS. *de J. B. & P. lib. 2, c. 15, §. 9, seqq.* LIMN.
in addit, ad Capitul. Caroli V. LAYMAN. *Theol. moral. lib. 2, tr.*
3, c. 12, n. 6, in fin. KNICHEN. *Oper. pol. lib. 2, Sect. 2, c. 10, tb.*
3, lit. B. Id tamen alii textibus variis juris divini moti
Exod. c. 23, v. 32. & c. 34, v. 12, 2. Paralip, c. 19, v. 2. & c. 20,
v. 37. Isai, c. 20, v. 5. & b, 2, ad Corinth. b, v. 14, & 15, &c. ob
rationes mox allegatas dissuadent. De hac materia aliis-
que juribus pro Principibus Imperii in P. W. *art. 8, §. 2,*
stabilitis publice ex cathedra fusius discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

JOANNES OTTO,

Qui primam aspexit lucem Hamburgi, oppido ob com-
mercia maritima celeberrimo, anno hujus sæculi decimo
die

die XX. Augusti, Patre viro integerrimo LUDOLPHO OT-
TONE, tunc Mercatore, nunc verò etiam Senatoris Spar-
tam subeunte; Matre verò pia virtutibusque ornata DO-
ROTHEA nata Kentzeria præmatura morte jam jam abre-
pta. Optimi hi parentes nihil unquam, quod ad probam
& sedulam educationem spectat, omiserunt, eum tam præ-
ceptoribus domesticis, quam publicis, quos Schola ac illu-
stre Gymnasium, quod Hamburgi floret, fovet, instru-
dum tradiderunt, quorum doctrina etiam primas bonarum
literarum lineas ita duxit, ut anno hujus sæculi XXXIV.
Academiam Lipsiensem adire, ibique nomen albo Acade-
mico dare potuerit, hac in Academia ipsi nihil prius nihil-
que antiquius fuit, nisi ut omnem in addiscendis literis po-
tissimum vero jurisprudentiæ studio operam navaret, po-
tissimumque Dn. MASCOVII collegia indefesso studio fre-
quentaret, donec anno hujus sæculi XXXV. Academiam
Viadrinam adire, e re sua duxerit, ac gavisus est ibi Præ-
ceptore Dn. MOSERO, tunc Facultatis Juridicæ ibidem Or-
dinario, nunc vero vitam privatam Ebersdorfii apud Vari-
scos degente, nec non Dn. TRIERO hac tempestate Ord-
inario Facultatis Juridicæ Viadrinæ, ut & Dn. JOANNE
GVILIELMO HOFFMANNO, cujus etiam lectionibus privatif-
simis interfuit, illumque ad Academiam Wittebergensem
abeuntem comitatus est, Eique a latere nunquam disces-
sit, quoties lectiones Historicas, Juridicasque tradidit.
Deinde Jenensem aliasque Academias invisendi, consilium
cepit, ut eo majores & maturiores profectus faceret, stu-
diisque suis ultimam lineam adhibendo, vitæ Academicæ
nuntium mitteret. Quo igitur hujus consilii compos fie-
ret, ad Academiam hanc per-antiquam Electoralem se con-
tulit, literis ad nostram Facultatem Juridicam exaratis, pe-
tiit, ut admitteretur ad specimina a Candidatis Jurium eden-
da, honestis ejus petitis Ordo noster annuere non dubita-
vit; communicavit ei textus ex utroque jure resolvendos,
quos ita est interpretatus, & Dominorum interrogantium
interrogatis in examine rigoroso ita satisfecit, ut non fo-
lum

lum ad ulteriora Specimina fuerit admissus, sed etiam su-
premis jurium honoribus dignus fuerit judicatus. Proinde
die IX. Aprilis lectionem cursoriorum & dissertationem inau-
guralem

DE

**LIMITIBVS SVPERIORITATIS
TERRITORIALIS SECVNDVM LEGES
FVNDAMENTALES IM-
PERII**

habebit. Quo autem splendidiores hi actus reddantur, ad
illos Dni Universitatis Proceres ac Cives Academici huma-
nissime ac officiosissime invitantur. Publ. sub Sigillo Facult.
Jurid. d. VI. Aprilis M DCC XLIV.




ERfurt, Diss., 1742/44

ULB Halle 3
005 355 400



W078







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue*de foederibus*

1744, 6

27

PERANTIQUÆ VNIVERSITATIS ERFORDIENSIS
R E C T O RET
FACVLTATIS IVRIDICÆ
D E C A N V S,
CONR. WILHELMVS
STRECKER, JCTVS,EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELE-
CTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMI-
NIS, PRÆFATÆ FACVLTATIS ASSESSOR SE-
NIOR, CODICIS PROF. PVBL. ORDINARIVS,
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL
PRIMARIVS,AD
AVDIENDAM LECTIONEM
CVRSORIAM*ad art. 8. §. gaudeant. 2. Instrum. Pac. Westph.*ET
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM IX. APRILIS M DCC XLIV.
LECTOREM BENEVOLVM
PERHVMANITER INVITAT.ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII,
Acad. Typogr.